



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XCII. Sen[n]acheribi, regis Assyrior. strages.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

meridiem retroageretur in solaris, seu horologio
 sciatherico, sole quoque pari se intervallo, cum
 orbibus cœlestibus, aut certè orbium sideribus re-
 gyrante, accesserunt ad consuetas diei horas quinae,
 eademque fecerunt ægroto recuperandæ valetudi-
 nis; quam etiam mox reduxit cataplasma ficuum,
 ulceri superimpositum; salute, quindecim insuper
 vitæ subsequenti annis accumulata. quanquam in-
 sciandum non est, plus divinæ virtutis in illa me-
 dicina, quàm naturalis efficaciam fuisse. Eò DEUS
 ostendit palam fecit, & terris se dominari, & astris;
 tantique à se unum probum fieri hominem, ut non
 dubitet ejus in gratiam naturæ leges immutare. E-
 zechias ex integro confanatus, nihil habuit prius,
 quam Soteria Numini in templo persolvere, ejus-
 que beneficii memoriam compositò à se carmine ec-
 charistico posteritati consecrare.

NARRATIO XCII.

SENNACHERIBI, REGIS ASSYRIORUM STRAGES.

4. Reg. 19. Isaia 37.

Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.

AD propriam ruinam festinatò pervenit, qui
 impotenter graditur ad alienam; documen-
 to est *Sennacheribus*. Qui, ubi superbi victo-
 ris partes, variæ crudelitatis exemplis apud Ægypti-
 os

tios & Æthiopus implevit; jamque nullius nomen, gentibus illis terribilius esset, quam Assyrij Regis, & exercitûs ejus, repetita adversus Iudæos expeditione, Palæstinæ sese, cum equis, viris, armis, quadrigarumque bellicarum multitudine infudit. Quicumque ferebatur, fœda locorum ubique miserandaque facies. Qui suas ubi copias propius Ierosolymam admovit, tum verò pars populi major ac deterior, non lacrymas, non questus, non lamenta continere; adversus Regem *Ezechiam*, ejusque Virem *Isaiam* quiritari, deditionem urgere, urbem coitionibus & turbis miscere. Rex contra cum Proceribus, & meliore parte civium, cilicino poenitentium habitu, DEO supplicare votis ardentissimis, cinere capita perspergere, in pavementum corpore, vultuque se abijcere; turbidos, & turbatores, quæ verbis ad tempus accommodatis, quæ minis iræ divinæ propositis castigare. Cùm interim Assyrij populis ac vino, profundissimum in somnum provoluti, totis passim campis collibusque sparsi, sub tentorijs & dio sterterent.

Jamque nox adultior coelum & terram obtexerat, cùm missu Numinis Angelus, spississimas inter tenebras, in Assyria descendens castra: momentò temporis, solò cum paucis exceptò Sennacheribò, barbarorum universum circa Ierosolymam delevit exercitum. Ferebantur delectarum tot simul animarum millia [nam centum octoginta quinque millia ceciderunt] in profunda Tartarorum: adhuc ignorantium quomodo, vel quonam funeris auctore cecidissent.

Modus

Modus porrò tam atrocis interfectionis à Scripto-
re Sacro non traditur; potuit Genius Percussor sin-
gularum cervices, & maximè somnò stratorum,
unico statim ictu resectas, in mortem absolvere;
potuit cum violentia repentè vel spiritum inrerclu-
dere: vel compressione corda elidere; potuit sus-
citatis & immixtis incendijs intestinis [quod non
paucis videtur factum] unico temporis puncto si-
gillatim ac viritim, Assyrios in cineres ac favillas
redigere, salvís per prodigium armís, atque vesti-
mentís: cadaveribus autem simulacra & facies ho-
minum animâ carentium foris retinentibus. Cla-
des hæc non antè patuit, quàm omni demum no-
cturna depulsa caligine, sol reductus diem, & dies
rerum omnium faciem aperiret. Sennacheribus
manè postero experrectus, frustra suos ad ministeria
solita præstolatur, inclamat, quærit. Oculis tan-
dem suismet credere coactus, videt exercitum su-
um altiore quadam vi, internecone deletum. I-
dem pauculi nonnulli adhuc superstites [non plures
erant dens] ab Angelo relictí, Regi nuntiant; &
ad fugam incitant. Quibus acquiescens, eorum
in comitatu, relictis omnibus, celeriter & ignomi-
niose suam repetit Assyriam. Quorum strage &
fuga per exploratores compertâ, Solymæi caterva-
tim urbe egressi, prædam inveniunt longè maxi-
mam, diripiunt, asportant, avehunt. Eaque tam
se ipsum quisque, quàm Regem Ezechiam, præ
cæteris ditant, DEO que prodigiosæ victoriæ datori
meritas grates persolvunt. Sennacheribus Niniven
reversus, omnium in se odijs jam antè concitatis, tu-
multuantium seditione exterritus, ad delubrum
con-

confugit, dūmq̄ue idolo suo *Nesrocho*, de filijs suis duos, natu maiores, *Adramelechum* & *Serasarem* victimam humanam, votō promittit; ab ijs, consiliō patris cognitō, ad ipsam aram trucidatur. Parricidæ in Armeniam profugi, *Assaraddoni* natu minimo, regnum reliquerunt; quō deinde victo casōque à *Merodacho* Babyloniorum Pratore, Imperium Assyriacum penitus est eversum, vastata Ninus, & *Merodachus* [seu *Berodachus*, & nomine regio *Nabassar*, privatō *Baladan*] Babyloniorum, totiusque Orientis Dominus evasit. Ita tyrannus tyrannum subjugat, & potentia scelere parta per aliud scelus opprimitur. Vaticinium Isaiæ fuit cap. 33. *Vaticini, qui pradaris, nonne & ipse pradaberis? & qui spernis, nonne & ipse spernèris?*

NARRATIO XCIII.
 EZECHIAE OSTENSIO
 TATIO A DEO PUNITA.

4. Reg. 20. 2. Par. 32. Isa. 39.
 Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.

Non rarò laus, quæ in rebus adversis efflorescit, in secundis corrumpitur; & qui ferocientem repulit hostem; blandientem non cavet. id Ezechia evenisse, narratio hæc ostendit. Rebus Assyriacis immensa clade prostratis, *Merodachus*, hæctenus Sennacheribi, in Babylonia Prorex, aut certè vectigalis, vicariam potestatem convertit in absolutum dominatum, liberumque sibi regnum, contractâ cum alijs regibus amicitia, stabilis